

## LATINE: CALLISTO

M<sup>a</sup> TERESA BELTRÁN CHABRERA, M<sup>a</sup> TERESA CASES FANDOS, MERCEDES GARCÍA FERRER


grupogalatea@gmail.com

<http://grupogalatea.blogspot.com.es/>

Iuppiter, pater omnipotens, in virgine Nonacrina haesit. Callisto, ita virgo appellabatur, fibula vestem et alba vitta neglectos capillos coercuerat; manu et iaculum et arcum sumpserat, nam Phoebes miles erat et nemo gravior hac deae erat; sed nulla potentia longa est.

Ut illa densum nemus subit et Iuppiter eam fessam et custode vacantem vidit, dixit: “coniunx mea certe hoc furtum nesciet“

Protinus faciem cultumque induitur Dianae atque ait: “o virgo, pars una comitum mearum, in quibus collibus venata es?” virgo se levat et narrat qua silva venata foret, deus amplexu impedit et confestim se prodit. Illa quidem pugnat, sed quis Iovem superare poterat? Iuppiter victor aethera petit; huic odio nemus et conscia silva est.



Ecce, Diana suo choro comitata per altum Maenalon ingreditur, hanc adspicit et vocat: Callisto clamata refugit et timuit primo, ne Iuppiter in illa esset; sed postquam pariter nymphas incedere vidit, sensit abesse dolos et ad harum numerum accessit.

Heu! quam difficile est vultu crimen non prodere! vix humo oculos attollit nec, ut ante solebat, deae lateri iuncta est sed silet et rubore laesi pudoris signa dat; et, nisi quod virgo est, Diana mille notis culpam sentire poterat. Orbe lunaria cornua nono resurgebant, cum dea de venatu languida nemus gelidum vidit, quo rivus cum murmure labens ibat et attritas harenas versabat; loca laudavit, summas undas pede contigit. “Procul est’ ait ‘arbiter omnis, superfusus lymphis nuda corpora tinguamus!”

Callisto erubuit; cunctae velamina ponunt; una moras quaerit; dubitanti vestis adempta est; cum nudo corpore crimen patuit. Ea attonita manibu uterum celabat. Diana eam dixit: “i procul hinc nec sacros fontes pollue!” Dea de suo coetu secedere iussit.

Senserat hoc olim magni Iovis matrona distuleratque graves poenas in idonea tempora. Causa morae nulla est, et iam puer Arcas de paelice natus fuerat. Iuno eam dixit “Haud impune feres namque adimam tibi figuram, qua nostro marito places” Callisto nunc ursa est; vox iracunda plenaque terroris de rauco gutture fertur, tamen mens antiqua mansit. Saepe feris visis latuit, oblita quid esset.

Ecce Arcas, proles parentis ignara, ter quinque fere natalibus actis, adest dumque feras sequitur, incidit in matrem; ille telo pectora fixurus fuit. Sed omnipotens ipsos nefasque sustulit et caelo imposuit vicinaque sidera fecit.

(texto adaptado de Ovidio, *Metamorfosis* II, 401-507)